

**Dissertatio inauguralis medica de dyspepsia ... / praeside ... Gunth.
Christophoro Schellhammero ... pro licentia ... die viii. martii MDCXCV. ...
submittet Georg. Christianus Wolff.**

Contributors

Schelhammer, Günther Christoph, 1649-1716.
Wolff, Georg Christian, 1669-
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis Pauli Ehrichii, [1695]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jabrn7ru>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Dissertatio Inauguralis Medica

DE D.S. 7

DYSPEPSIA

MEDICAL SOCIETY
NOVEMBER

Divina adsistente Gratia
^{quam}

Consensu atque Auctoritate Illustris & Gratiostissimi
dinis Asclepiadæi in Inclyto ad Salam Athenæo,

P RÆ S I D E

VIRO Nobilissimo, Excellentissimo & Experientissimo

DN. GUNTH. CHRISTOPHOR
SCHELLHAMMERO, D.

Anat. Chirurg. & Botan. in Lyceo Salano P.P.
& in Kiloniensi nunc designato Medicinæ Primario
Acad. Leopold. Nat. Curios. Adjuncto
& Recup. Ital. Soc.

Patrono Promotore & Præceptore suo
et eternum devenerando

PRO LICENTIA

Summos Honores, Privilegia, immunitates & insignia
Doctoralia in arte Medica solenniter impetrandi
Die VIII. Martii M D C X C V.

publico Eruditorum examini submittet

GEORG. CHRISTIANUS Wolff

Suinfurto - Francus

IN AUDITORIO MAIORI


horis ante - & pomeridianis.

1
2.2.5

DEO PATRIÆ
ET
PARENTIBUS.

AGITAT DEO PATRIÆ

GEORG. CHERITANUS



I. N. J.

Th. I.

Præcipuum ferè omnium
actionum naturalium Chylificationis
opus est : quamdiu enim alimenta in
ore legitimè præparata, in ventriculo
recte subiguntur & coquuntur, & in in-
testinis secundum naturam utile ab in-
utili separatur, nihil ad M.S. quod cra-
sin istius, vel etiam circulationem &
nutritionem turbet, horum culpa pervenire potest.

Th. II.

Sed vicissim etiam, quicquid hinc crudum & im-
maturum dimittitur, corrigi deinceps difficulter potest :
ex quibus omnia vitia partium fluidarum, quandoque &
solidarum ortum suum ducunt.

Th. III.

Sanitatem vero nostram maxima ex parte humori-
bus pravis destrui, observationibus medicorum &
tota arte quam clarissime id attestantibus, certum est,
qui ex chylo depravato boni fieri nequivant.

A 2

Th. IV.

Th. IV.

Depravatur verò concoctionis vitio , secundum
Senertum, lib. III. p. II. Sect. II. C. IX. & alios tripli: nam,
 vel nulla eibi est alteratio & mutatio , quod fit in $\alpha\pi\tau\phi\alpha$;
 vel plus temporis , quām par est ad concoquendum re-
 quiritur, siveque alimenta sēpiti semicruda relinquntur,
 quod $\beta\epsilon\alpha\delta\gamma\pi\tau\phi\alpha$ nominatur, vel tertio deglutita non
 in chylum laudabilem , sed in aliud liquamen vitiōsum
 abeunt, & hoc est $\delta\omega\tau\pi\tau\phi\alpha$, de qua nobis nunc sermo-
 erit: ita tamen, ut nonnunquam & reliquorum vitiorum
 rationem expendere , cum propter communem causam
 id evitari citra istius injuriam non possit , libertatem no-
 bis reservemus.

Th. V.

Quoad explicationem nominis vocabulum Græcum
 est, compositum à $\delta\upsilon\zeta$, quod ægrè, difficulter, infeliciter,
 immo nihil boni significat ; & $\pi\tau\phi\zeta$ coctio , concoctio.
 Vocatur & Tūs $\pi\tau\phi\omega\varsigma \delta\alpha\Phi\vartheta\circ\epsilon\chi$, concoctio depravata,
 corruptela Chyli.

Th. VI.

Ratione significationis nihil aliud est, quam inge-
 storum alimentorum, cibi & potus scilicet, non sufficiens
 digestio , unde evolutio particularum nec satis promte,
 nec integra fieri potest : Vulgo putant in liquamen aci-
 dum, nidorosum vel pituitosum abire, vel ex his mixtum
 aliquid.

Th. VII.

Neque verò absurdè hæc dici , aut cum multis aliis
 è scholis medicis ejicienda esse existimamus , omnibus
 his in sensus incurrentibus, vomituque vel ructu aperte
 se

se prodentibus, et si amarum quoque & biliosum fuerit forte addere; & ex his mixtum.

Th. VIII.

Quoniam autem nihil vitiatur, nisi antea bonum fuerit; ita & præ omnibus necessaria ~~functio~~ requisita consideranda sunt: ubi *primo* calor ventriculi & vicinorum partium in determinato & justo gradu, non major nec debilior; *secundo* fermentum ventriculi, quod partim ab ore ex glandulis salivalibus descendit, partim ex ipsis parietibus & tunicis ejus propriis videtur effundi; *tertiæ* Duratio & permanens legitima ipsorum ingestorum in ventriculo, ejusque motus atque contractio debita; *quartæ* cibus & potus ad sanitatem conducibiles & boni; *Deniique quintæ* & animus à curis & meditationibus liber, spirituumque animalium (quod præ cæteris Excellent. Rivenus egregiè detexit & argumentis firmavit) præsentia requiruntur. Si verò unum ex his a certo suo gradu declinat, aliamque faciem recipit, necessariè perturbata concoctione, vitiosus chylus efficitur.

Th. IX.

Quod primum, calorem scilicet tam ventriculi, quam partium in vicinia positarum, attinet, eum concoctionem adjuvare nemo potest dubitare. Est enim non nuda qualitas, sed particulis veris igneis constans, quæ omnium subtilissimæ, maximèque mobiles, subeunt omnium poros, resque dividunt minimas in minima, invicemque divellunt. Quin per eum omnia in corpore actuantur, & reliqua quoque impelluntur, ut ejus beneficio hæterogenea secedant, homogenea rursum misceantur,

prout dudum *Aristoteles* docuit. Moderatus tamen calor ad concoctionem desideratur.

Th. X.

Veritati igitur non convenit: fortior calor, fortius coquit. Nimius enim fermentationem planè corruptit, & in totum ferè destruit, id quod etiam excommuni, Chemicisque consuetâ fermentatione patet, & omnes vetulæ quoq; destillationis & præparationis spiritu ardentis, ex frumento, junipero, pomis, aliisque vegetabilium fructibus peritæ non nesciunt. Sed in nobis præterea humidum concoctioni destinatum per pylorum citius & cum impetu expellit, quo fit, ut reliquum spissius reddatur, & fermentari subigique minùs possit: spissa enim minus mobilia sunt, adeoque evolvi difficilius solent: spirituosa quoque promptius exhalantur, adeoque massa relinquitur tenacior ac indigesta moles. Tumultuosa isthæc fermentatio cognoscitur, si post prandium facies rubet, phlogoses oriuntur, scorbuticis, hæticis, hypochondriacis, chlorosi laborantibus ut plurimum familiares.

Th. XI.

Si verò ex altera parte calor jam dictarum partium in defectu magis peccat, estque debilior, fementum non sat agitat, ut possit particulas compactiores subire, & reclusis intimioribus, ad resolutionem præparare: neque enim digeri & in motum agi particulæ quantum sat est, nec uniri rursum similia, & misceri omnia in aliam formam commode queunt. Uti quidem hujus rei exempla tum in senibus, tum etiam iis qui natura debiles & imbecilles sunt, potissimum occurunt.

Th. XII.

Th. XII.

Explicato calore, fermentum considerandum venit.
Neque enim ut crasse philosophatur *Galenus*, sola hic coctione vel elixatione transigitur, cum non emollienda, sed in aliam massam vertenda alimenta veniant, ad quod obtainendum, dissolutione prius est opus & segregatione, quam putredinem, fermentationis vocabulo ignari, olim nominarunt; non corruptionem omnitudinam, sed talem qua forma rerum corrumpatur, non item materia in foetorem adigatur, intelligentes. Quæ ipsa etiam *Aristotelis* est mens, quando de generatione & corruptione rerum naturalium differit, longe omnino verissima & certissima.

Th. XIII.

Cujus rei exempla tum alibi, tum in *Chemia* maximè obvia sunt, quæ in destillatione & forum resolutiōnem talem & fermentationem nunquam non præmittit, quo intimius corpora recludantur. Hoc enim, cum à solo calore præstari non possit, aliud insuper accedat necessum est, in tanta præsertim edulium varietate, viscidaque materia, quæ incidi, & attenuari & resolvi postulat. Quod quidem magna ex parte in corporibus ipsis sponte adest, omni re corruptibili eadem perdurandi & pereundi principia in semet ipsa circumferente: adjuvari tamen & excitari amat nova & activa aliqua, sibique consimili materia. Cum enim Deus creator omnium justo pondere & mensura omnia constituisset ad corrumpendum rem aliquam præponderet unum reliquis necesse est. Hinc Chemici plerumque aliquid fermenti, vel quod ea vi polleat addunt.

Th. XIV.

Th. XIV.

Quod etiam naturam facere credi par est, sive jam sufficiat illud, quod inter mandendum cibō in ore commistum, per œsophagum cum illo descendit, sive in ventriculo ex glandulis nervosam inter & villosam tunicam collocatis, novi quid exstillans accedat, dum musculosæ ventriculi fibræ cum peristaltico simili motu agitant, varieque constringunt & urgent. Hoc sane quicquid sit, quod fermentum appellamus, est caloris proximum instrumentum, quod dum in massam præparatam altius se adigit, citius & exactius illa resolvitur, ut tandem in pultaceum quid, sed mollius paulo, & veluti materiam ad emulsionem paratam accedat; additò etiam humidò, ut tandem particulæ illæ adhuc grossiores in minima & subtilissima resolutæ uniantur, & exactè misceantur; quò peractò emulsio ista naturalis, Chylus purissimus sc. inde emergit,

Th. XV

Proxime, & humidi cujusdam mentionem fecimus, quod sine noxa abesse non potest. Siquidem sucus fermentalis ille recludit quidem, non vero ingesta solidiora & viscido-pingvia sufficienter diluit, nec resolvit. Itaque potus, materia illius humidi, minimè negligendus est, tanto utilior, si successivè, nec magnis haustribus admittatur, sitque & ipse spirituosior; ut vinum, & ejus abortus nostra cerevisia. Qui quoniam plerumque insuper & particulis salinis gaudet, pingvia quam facillimè subigit, perpetuaque conquassatione quasi & agitatione ventriculi cum aliis vel resolvit, vel componit: etsi aquam simplicem bibentibus, adsuetis tamen, modo aliquid hujus accedat, idem præstare, experientia

* (9) *

tia videatur ostendere: tametsi de ea citra omne spirituosum exerenda vi merito forte posset dubitari: saltim in iis qui non brutorum more vivunt.

Th. XVI.

Sed præter ista, ut antea dictum est, etiam animalis Spiritus libera desideratur accessio: quod commoti abunde probant. Simulac enim quis excandescit, contristatur, conterretur, metuit, non modo omnis appetitus illicè cessat, ut amplius quicquam vix assume-re possit, sed si assumat, etiam coctionem læsam mani-festò percipit. Hinc etiam illi, qui sapientiæ studiis nimis se dedunt, medicinam plerumque requirunt, non de ventriculi debilitate duntaxat, sed & hypochondriaco malo jugiter conquesti: quod inde trahit initium, quoniam spiritus exhauriuntur, & aliò vocantur, seu, ut *Celsus* loquitur, quoniam corporum suorum robora inquieta cogitatione, nocturnisque vigiliis enervant.

Th. XVII.

Denique & ipse ventriculus cum suis tunicis rectè habeat, oportet, quæ variæ commemorantur: exterior, membra tenuissima constans; altera fibris carneis variis instructa, ut se contrahere possit; nervea deinde, ad quam vas adjacent exterius, glandulæ interius; & quæ denique in villos abit serico similes, ex quibus forte glandularis liquor supra memoratus exstillat. Existimamus verò nerveam ad robur & continendum datam, ne rumpatur facile; externam ad contegendum muniendumque; villos vel dicta causa, vel ne asperiora lœdant, quæ sub-tus sunt; carneam verò ad promovendam chylificatio-nem maxime, dum jactari cibum, corrugando ventricu-

lum, & coarctando necessum sit, quo simul quod coctum atque digestum satis est, leveque, & reliquis innatans, feliciter expellitur.

Th. XVIII.

Hæc præmittere placuit, ut quid ad 'Eusebius' requiratur, cognosci possit: facile enim deinceps quot modis vitium capiat cibus, eolligi ex his potest, uno vel altero eorum desiderato: Nam contraria ex contrariis saepe optime pernoscuntur, nec Medico restituere collapsam & labefactatam valetudinem in integrum licet, nisi integra antea qualis sit exacte habeat cognitam. Neque enim quid peccet, conjecturari potest, nisi omnia quæ peccare possint, accurate sciat expendere.

Th. XIX.

Veteres autem, Galeni temporibus, & imprimis etiam Fernel. patbol. lib. VI. cap. III. causam omnem morbi in intemperie posuerunt, quod neutiquam sufficere vel ex præmissis liquet: cum enim præter hanc tot alia recensuerim ad peragendam actionem necessaria, facile appareat, omnia isthæc probe constituta esse opportere, eorumque vel uno vitiato, fieri ciborum in chylum conversionem probe minime posse. Hinc alii plures causas læsæ Chylificationis assignarunt, ut Riverius, qui eas ad tres classes reducere conatur, in quarum prima de objecto, materiâ scilicet concoquendâ; altera de organo, vel de officina ipsa; tertia de rebus exterioribus, chylificationi nempe advenientibus cumque depravatis sollicitus est.

Th. XX.

Nos cum, quem in enarrandis naturalibus inivimus, in præternaturalibus perlustrandis, ordinem sequemur

mur. Sed cum non omnia fieri ex omnibus non possint, addendum hic insuper erit, ipsa alimenta quoque talia esse oportere, ut subire concoctionis leges, & recipere in se fermenti activitatem queant: & cum alia id promptius, tardius alia pati idonea sint, ut magna est edulium varietas, alia quoque resistant calori, ut cucumeres, alia ventriculi contractioni, ut compacta & ponderosa, prouinus cujusque natura etiam coctionem magis vel minus, varieque lædi necesse est.

Th. XXI.

Præterea superioribus accedit etiam masticatio, qua fermentativus salivæ humor per comminutas dentibus particulas accuratius eat, iisque misceatur. Hinc etsi alimenta non inepta chylificationi assumantur, si non ritè tamen masticatione præparentur, dyspepsia evitari haud potest. Fit autem masticatio molarium ope potissimum, quibus veluti inter duos lapides conteritur, incisoribus ad id, ut à mollibus decerpere, caninis, ut duriora confringere, indeque abscindere aliquid possumus potissimum datis. Ubi itaque molares corrupti sunt, exciderunt, vel alias deperduntur, illa perfici recte nequit, hincque etiam vitiosa fit, & difficilis digestio.

Th. XXII.

Posthæc etiam ipsa salivæ justa copia, si vel deficiat & particulis heterogeneis imbuta sit, vel destituta activis, ita ut iners & effœta depræhendatur, sine dubio possit vitiare chylificationem. Sed ut verum fateamur, an hoc unquam ita reapse contingat, & quando, & ex quibus causis, nondum acuratè à Medicis est percognitum, nisi quod in febribus & alias ubi humidum nimi-

um absuntur deficere animadvertatur: neque fortassis cognoscetur unquam. Haut enim sufficit ad hoc, ut multa de salino-sulphureis, accido occulto, & aliis, ut nunc moris est, late differas, sed proportio, & crasis & vera hinc indoles totius ostendenda est: quæ, ut sensuum judicium fugit, sic non magis hic, quam in aliis naturæ operibus ulla unquam poterit assequi humana industria, ut frustra hic jacent mechanicam suam confidentissimi moderni scriptores, & in ruborem, si quid ipsis pudoris est, agi necessum habeant. Quod idem de illo, qui ex glandulis ventriculi eructatur, humore tenendum arbitror. His ergo relictis ad calorem pergo.

Th. XXIII.

Is vero ut peccet excessu & defectu jam dictum supra est, ubi ostendenda erat mediocritatis necessitas: huc ergo referantur ea, quæ ibi posuimus. Verum hic dubium oritur unde calor ille arcessendus veniat? Num ne ipsius ventriculi proprius ille sit, ut *Galenus* & eum sequi olim credidere, an vicinarum partium, an totius: ubi respondendum autumo, non prius credibile esse, non enim est unicuique visceri suus insitus vel innatus calor, sed tantus, quantum recipere sanguinis uniuinquoque, aptum est. Is enim ut omnis caloris fons, sic ad ipsius copiam metiri calorem viscerum unice oportet. Status ergo sanguinis calorem ventriculi moderatur; unde & ejus per ætates vitæque genera oritur varietas. Non autem is tantum, qui cum sanguine in stomachi tunicas influit, coctionem juvat, sed & vicinarum partium, & ille insuper, qui in ipsa massa, dum subigitur, pro admistratum particularum natura ex motu fermentativo de-nuo oritur. Quod cum primis est notandum.

Th. XXIV.

Nec humidi hic iterum mentionem facere necesse sum habeo, cuius defectus quid præstet, itidem antea indicavi. Neq; ut quantitas justa tantum adfundatur fermentandæ massæ, sed iis etiam qualitatibus imbuta necessum est, quas innuimus. Si enim vel calor, vel particulæ salinæ desint, minus feliciter eadem perficitur. Hinc cerevisiæ minus defecatae, crassæ & dulces omnes (nam tales sunt, quæ non satis fermentantur) amaris & purioribus, & aliqua levi acrimonia linguam ferientibus, sunt deteriores: appetitum enim destruunt, fermenti vim infringunt, & calorem obruunt.

Pergo nunc ad officinam ipsam, organon scilicet primarium: nam hujus quoque vitio aliquando elaboratio Chyli non rite perficitur. Hic vero nonnullis videri posset, morbos in figura & magnitudine (quando scilicet ventriculus nimis est rotundus aut oblongus, amplius aut parvus, quem Galenus Art. Med. c. 71. describit,) cumprimis esse accusandos. Sed vanum hoc est. Vedit Excellent. D. Praeses Preceptor meus & viternum Devenerandus, & nobis ostendit in anatome publica, eum modo oblongum, modo rotundum magis, modo permagnum, modo parvum occurtere, in cadaveribus optime constitutis & sanissimis. Animalium quoq; reliquorum ventriculi quantum varietatis in figura ostendunt? Quæ tamen omnia rite cibos suos conficiunt. Alia res est inflammationis, abscessus, vulneris & ulce..., vel ipsius, vel alicujus partis vicinæ, à quibus etiam in consensum trahitur: Vid. Forest. lib. XVIII. Observ. 18. & 30. Hujus rei quoque expertus testis est Zacut. Lusitanus in lib. Med. Princip. hist. LVI. quæst. 36.

Th. XXVI.

Maxime vero omnium laborat ventriculus, & frequentissime, si tonus laxitate tunicarum, quarum in thesi XVII. mentionem fecimus, lœsus est, & fibræ robore suo destitutæ & à cibis distentæ, non legitime se contrahunt. Unde non modo fermentum, quod ex glandulis expectatur, non satis exprimitur, sed etiam cruda & indigesta non multum volvuntur revolvunturque, & consequenter etiam non miscentur cuncta quantum sat est. Quanti vero hoc momenti sit, pistores dicant, qui fermentandam panis massam, segnem & inertem ex se, manibus pedibusue subigunt. Præterea magna Chyli semicrudi copia, quia per janitorem non commode expellitur, ultra tempus in ventriculo moratur, & vel hinc vitium contrahere nunquam non solet: perinde quoque fit, si crudum & quod nullam alterationem suscipit, verbi gratia Lardi frustrum, aut piscis alicujus, coctu difficilis, ac durum in fundo hæreat, quod per aliquot hebdomada ibi subsistere posse, Nobiliss. D. Præses experientia Doctus mihi asseruit.

Th. XXVII.

Vitiatur autem tonus, id est fibrarum robur in ventriculo, nimia distensione potissimum. Idem enim hic fit, quod in omnibus illis, quæ elastica virtute pollent, quæ vel ex ipsa etiam acie confecta, diu & nimis tensæ, remittunt à virtute sua, & laxatis fibris suis debilitantur. Et hæc est pæna qua voracitas & heluonum insatiabile edendi bibendique desiderium, potissimum multatatur. Quæ lento quidem pede procedit, sed gravitate compensat moram, dum in proiectiore atate tandem solet adrepere.

Th. XXVIII.

Nunc de spirituum quoque defectu, & avocatione ab opere dicendum est. Quorum in hoc ἐνέγγεια in quo potissimum posita sit, sciri quidem nequit, nisi quod animent omnia in corpore atque permovereant. Attamen quam sint ad Chyli confectionem necessarii atque utiles, vel illa evincunt, quæ jam dicta sunt: uti contrarium docent Rustici, qui labore exercitati, & curis soluti, avidè petunt cibos, rectissimeque omnium, vel duros etiam concoquunt, nec unquam de ventriculi imbecillitate, vel raro saltē, conqueri audiuntur. Et, licet hoc pacto etiam calorem excitari negandum nequam sit: verum ex ipso illo calido sanguine spiritus vigore gaudentes suo educi, vicissim cogitandum est.

Th. XXIX.

Ast non modo avocati spiritus à ventriculi opera damnum inferunt, sed aliàs quoque exhausti vel destruci, ejectique nimiis & variis excretionibus & evacuacionibus, post quas ad Chylificandum non sufficiunt, quod balneorum, excretionum omnis generis nimirū Venerisque usus frequens plusquam vellemus probat, atque ita ventriculum invertit, ut nulla firma inibi postea concoctio fieri possit. Hinc quoque in somno minus prompte fit concoctio, cum per eum imminute influant spiritus, siquidem hic eorum requies est; Contra citius de die quam noctu peragitur concoctio; unde & à prandio ad cœnam paucæ intercedunt horæ, à cœna ad prandium plurimæ: sæpius è somno excitati cibum potumque crudum adhuc in ventriculo fluctuare percipiunt, debilitate ejus laborantes. Cum primis vero hic accu-

sandus est Tabaci fumus per fistulas ore haustus quotidianac intemperanter. Narcotica enim vi sua obruit obtunditque spiritus, & ad quævis ineptos reddit: Ex quo bene multi non modo omnem appetitum amittunt, verum & sensim pereunt ac consumuntur, nam & potus, quo solent ejus acrimoniam in ore subinde eluere, laxat ventriculi fibras, omneque fermentum eluit, ut nec famem sentiant amplius stat tempore, nec comesta digerere valeant tales fumi-suctores. Et quid dicam de vini spiritus potatoribus? illi enim dum augere credunt eosdem, pessundant, & cachexiae plerumque reportant præmium, hydropicique intereunt.

Th. XXX.

Quemadmodum autem nimia quies digestionem perfectam impedit, ita & nimius motus eam non promoveret, quod probant vel statim ante, vel statim post esum consueta illa exercitia pugilatoria, & saltatoria. Talia enim spiritus concoctioni destinatos magis à centro quasi ad peripheriam evocant, vel etiam consumunt, sicque ventriculum vacuum & destitutum reddunt, unde & ipse appetitus post talem motum & excitationem, si vehementior fuerit, imminutus & dejectus est. Moderata contra corporis motio eos excitat, quod monet eleganter Hippocr. de victus rat. lib. I. dum scribit: *Qui comedit, nisi etiam labore utatur, sanus esse non potest.*

Th. XXXI.

Dubium est, an etiam ær, qui non solum corpus nostrum totum ambit, sed etiam per pulmones subit, varioque modo illud affectat, ad ciborum digestionem promovendam concurrat. Quod non audeo negare

negare, cum pateat ejus necessitas, exemplo musti, aliorumq; liquorum, qui eo excluso, a fermentatione immunes servantur, admisso verò, illico corrumpuntur, & in aliud transeunt genus. Hic ergo etiam cum deficere non queat, variis tamen imbutus particulis variè fermentum & ingesta afficit: humidus enim & nebulosus cruditates pituitosas auget; crassus etiam humores incrassat & magis figit. Præterea quis nescit frigidum ærem concentrando in nobis calorem, mire acuere vim ventriculi: contra calidum nimis, internum calorem destruendo & evocando debilitare. Ideoque diebus canicularibus parum comedimus & conficimus cibi, & septentrionales populi duplo plus devorare nostris hominibus solent.

Th. XXXII.

Sed sufficient hæc de dyspepsia causis; Effectum ipsius nunc quoque considerandum atque explicandum esse existimo Quem si exploramus qualis sit, nihil aliud esse deprehenditur, quam liquamen inutile & nobis grave, quod ut supra *Thesi VI.* memorabatur, acidum, nidorosum pituitosum vel hisce mixtum vulgo statui solet. Quæcum admiserim, ea quoque erunt paulo plenius tradenda.

Th. XXXIII.

Acidam itaque cruditatem originem suam à nimio usu Acidorum trahere, infallibile est, imprimis si illa fixiora & pertinacia sint. *Galenus* hanc vocat *intemperiem frigidam cum materia*; *Paraselsi* sententia de Tartaro suo ab hac multum differt.

XXXIV.

Alteram *Nidorosam* scilicet cruditatem jam dictus Galenus ex intemperie ventriculi calida cum materia deducit. Est autem hæc nihil aliud quam corruptio assumptorum in liquamen ingratii & fœtidi saporis, instar ovorum putridorum; oritur autem hæc à varietate ciborum, confertim & citra ullum ordinem ac considerationem ingestorum, qua pingvia, acida, aromaticæ; carnes, pisces, ova; poma, pyra, cerasa; cocta, affa &c. cumulatim assumuntur. Quod testantur convivia & epulæ largiores lautioresque, post quas potissimum hæc nidorosa cruditas percipitur:

Th. XXXV.

Pituitosum autem liquamen, per quod nihil aliud intelligitur, quam nimia quantitas crudæ ejusdam viscedinis, de quo veteres merentur legi, impri- mis etiam *Fernelius in pathol. lib. II. c. XXVII.* tum à cibis multo glutine & viscoso refertis, tam fermenti & caloris imbecilitate originem trahit, tum denique ea aëris dispositione forte, quam modo recensui.

Th. XXXVI.

Denique biliosa cruditas est, quando amara in ventriculo congeruntur: quod fieri nonnunquam, rursum experientia est testis: Nam & sàpe amari ructus asserunt, & ipse talis liquor eructatur in os. Et quantumvis non sit negandum, quod hujusmodi per vomitum sàpe rejectus humor ex ipsa sit vesicula fellea vel hepate

hepate, per motum duodeni peristalticum inversum (rapto hoc in consensum à stomacho) eo amandatum, aliquando tamen in ipso jam extitisse ventriculo, nullus ambigo. Provenit hoc ab amaris majori copia assumitis, ut & dulcibus, quæ in amara verti, vetus est, & pingvibus à nimio calore ibi exustis, quo ventriculus abundat.

Th. XXVII.

Et hæc de causis nostri Affectus sufficient. Quoniam autem tanta est harum varietas, quibus potissimum signis, quæ causa peccet, cognoscendum sit, indicare necessum est, quod sic fieri oportet.

Th. XXXVIII.

Si à cibis difficilis concoctio est, appetitus prostratus jacet, & dolor sentitur gravatus, modo à pastu, modo noctu, vel sub aurora, donec concoctio perfecta sit. Aliquando & è lecto surgentibus nausea & ad vomitum pronitas adest, quod signum est, adhuc aliquid indurati cibi & inconcocti in stomacho hærere: Potissimum autem ex antecedentibus, & ægri relatione id innotescit.

Th. XXIX.

Si calor deficit, ut ille ex sanguine est, humore universali, sic ex temperamento ægri frigidiore id judicatur; in universum deinde & ipse nonnunquam ægri sensus id testatur, præsertim post esum fructuum horæorum frigidorum, crudiq; succi, ut melonum, cucumerum: Porro

vicissim & ex juvantibus calidis, vinoque id asti-
mari potest, & potu reliquo, & si frigidorem poten-
tia, ægrius ferunt, uti est hic Numburgensis; contra
calidioribus cerevisiis juvantur. Si autem nimius sit ventri-
culi calor ex biliosis rejectis, itemq; illis patet, quæ Thesi X.
dicta sunt.

Th. XL.

Fermenti vitia, ut ipsa ignota sunt, sic nulla sui
faciunt magnopere indicia: plerumque tamen calor &
fermentalnis humor videntur simul peccare, & hæc sunt
Δυσπεψίæ causæ frequentissimæ. Laxitas vero alvi cum
eruditatibus, lienteria & cœliaca passio symptomata sunt
ænæsthas vel δυσπεψίæ, adeoque signa manifestissima,
fermentum penitus esse destructum.

Th. XLI.

Ventriculi fibrarum laxationem ex debili co-
ctione recte conjicias, si æger fateatur se vel cibo vel
potu nimio iimpleri, nec moderari ratione esuriem.
Potu contra eum nimis parco uti, tum itidem ex relatione
eius, tum obstricta alvo, & in fœminis, menstruo fluxu
non satis succedente collegeris. Spirituum quoque de-
fectum ex vitæ modo & præcedentibus dijudicare licet:
Si meditationibus, doctrinæque studiis assidue quis in-
cumbat nocte dieque, si curis, tristitiae & æruminis ex-
haustus sit, si inedia ex paupertate prematur: et si tunc
potius egregie soleat esurire, deque ventriculi robore
sæpius quam imbecilitate conqueratur: si cum magnis
vel diuturnis ægritudinibus conflictatus sit, vel passus
evacuationes nimias, vel excessus, quod supra teti-

gi, Tabaci aut Spiritus ardentis in frequenti ipsi sint usū, spiritus defectum subesse existimandum est. Labor denique nimius & ultra quam vires ferant, violentique corporis motus idem denotant.

Th. XLII.

Et jam quoque de tribus vel quatuor illis generibus cruditatis, quæ supra memoravimus, prolixè multa dicere, superfluum existimamus. Nidorosa enim & acida cruditas in rustibus exsurgentibus æque ac biliosa se produnt saporibus suis: Pituitam vero in stomacho abundantem dejectus appetitus, ciborum glutinositate & tenacitate abundantium comedq; temperamentū & absentia reliquorum signorum, cum ejusdem stomachi imbecillitate, maximeque ponderis sensu in fundo ejus produnt. Et jam de Diagnosi satis dictum esse arbitror.

XLIII.

Prognosis affectus nostri exhauditur si Lernam malorum post se trahere dixero: notum est, vitium primæ concoctionis in secunda non corrigi, & qualis Chylus est, talem & sanguinem expectandum: qui cum morborum tantum non omnium causa possit existere, nihil magis in promptu est, quam de futuro corporis statu ex hoc conjicere: Obstructiones viscerum, tumores varii generis, febres, cum primis autem hypochondriacum malum hinc oriuntur, macies, imbecillitas & in fœminis mensium obstructio, cachexica, hydrops, scabies, multæque aliæ corporis pestes inde originem trahunt, Accurandum igitur, ut medela fiat, quod etiam ipsi afflitti plerumque urgent, ægrius ferentes, cum valitudine simul & gulæ deliciis carere.

Th. XLIV.

Neque difficile malum est, nec periculum coniunctum habet, sed modo perita accedat manus, facile tolli potest, quippe cum rectâ ad locum affectum medicamentis pateat trames, quo minime alterata aut refracta, inoffenso statim eant pede. Huc ergo eamus & quomodo singulis, occurrendum sit ejus generibus doceamus.

XLV.

Ubi quidem de præsiis eorumque fontibus id statim monendum est, nullum ex chirurgiæ auxilium hic esse expectandum, ni forte devoratus culter ventriculi totiusque abdominis sectionem cuidam videatur requirere, quam olim in Boruffo factam novimus, auscantum non temerario, sed ultra quam sperari poterat felici successu. Quemadmodum nuper eodem casu obveniente Hale Saxonum acidis consumptio ejus tentata est, sed forte non æque feliciter successura, nisi ulcus supervenisset, quo natura per viam sibi factam quod molestum erat expulit: quale exemplum etiam jam olim vidit Chirurgorum Galliæ Princeps Pareus.

XLVI.

Omnis ergo spes in Pharmacia collocanda est: ex cuius officina tum universalia tum etiam alterantia magna copia peti possunt: Neque tamen omnia hic prosunt; non sudorifera, non diuretica: nec purgantia facile locum inveniunt, multis liget in hoc usitata, quibus pene in promtu est: Er hat den Magen verderbt: Er muß einmahl purgieren. Quamvis enim aliquando

do id bene cedere videatur, dum hærens pituita in ventriculo, occulto purgantium acri incidunt, & attenuata effluit, non tamen propterea hæc recte omnino prescribi existimandum est, cum nulla prorsus indicatio in dyspepsia eadem requirat: fortius enim remedium est, quam ut huic respondeat indicanti, cum totum sanguinem conturbet: nobis vero incidentia alia ad manum sint, quibus abunde isti possit satisfieri. *Quid autem lenia purgantia ad mentem Sylvii Prax. Med. lib. I. Cap. VII.* hic possint, cum incidere talia vix soleant, non video. Talia sane laxantia abstergent quidem, sed non sunt paria tollendo quod grave est. Sed nec alterantia sine discrimine ubiq; adhibenda sunt omnia: quod faciunt qui Elixiria sua stomachica tanquam universalia in omnibus generibus ventriculi malorum propinant: sed potius pro ratione causarum singula suo loco adhibenda.

Th. XLVII.

Si itaque cibi coctu difficilia assumta sint, & in ventriculo adhuc ea hærere cruda, per indicia supra allata constet: uti quidem uvas per tres menses ibidem integras hæsisse *Kerkringus Observ. Anat. VI.* notavit, nihil est magis conducibile quam vomitorium adhibere: sive jam placeat Tartarus emeticus *Mynsichti*, seu ♀ vitæ, seu poculum *Rulandinum*, seu folia *Asari*, *Lindano* olim in usu frequentissimo. Sic enim dum totus se ventriculus invertit, ascenditque in gulam, omnia quæ inibi continentur, certissime hoc modo ejiciet, & liberabit à molestia ægrum, id quod à nullo alio medicamento sperare facile licet.

Th. XLVIII.

Th. XLIX.

Si vero eadem alimenta subierint quidem coctionem, sed imperfectam & hinc vel pituitosa, vel biliosa cum tenaci, ut solet, & pellucida pituita mixta in ipsius natent fundo, tum possunt quidem incidentia adhiberi, sed multo certius tamen eadem vomitoria in auxilium vocantur. Nam biliosæ intemporei illa è diametro non respondent, etsi cum pituita incisa deinde eadem possint in intestina effluere, si modo ventriculi fibræ robustæ sint satis. Interim est tamen longius per intestina iter, & periculum, ne quid & Chylo admistum, in sanguinem veniat, ibique turbas det. Quod vomitorio optime licet & certissime evitare.

Th. XLIX.

Mansio ciborum si ex defectu dentium non possit fieri, nulla ars eam emendabit, sed danda est opera, ut cibis mollieribus utantur edentuli, & quod molariibus non possunt, cultro præstent, in minimas particulas cibum rescindentes. Qui verò voraces, vel in aulis negotiosi, saepe tamen, ut Phædrus de talibus ait; Occupati in otio, Gratis ambelant, multa agendo nibil agunt; ut vultures & accipitri deglutire integros bolos, quam dentibus atterere malunt, in semet ipsis remedium quærant, ne frustra molesti esse Medicis post tempus aliquod cogantur.

Th. L.

Sed quid de fermento dicemus cuius veram dispositionem nos ignorare fas si sumus? Evidem hoc non

non impedit, quo minus ipsum restituī commode possit: ubi enim desinit ratio, ibi ex empiria petendus est succursus: quem hic promte suppeditat. Quodcunque enim tandem sit miscelæ genus, quo fermentum ventriculi constructum est, observatum tamen, acida plerumque illud segne iterum acuisse: aliquando & aromaticā volatilibus mixta profuisse compertum: quæ quando usurpanda sint ex causis corruptionis est harilandum. Et quia cum debili fermento dubium non est, pituitosam cruditatem cumulatam esse, ea hic maxime conveniunt, quæ composita utrique indicationi satisficiant, amaro-aromatico-acida, quale est nobile illud Elixir Proprietatis, quod quia jam omnibus notum, non suo jure nunc apud multos vilescit.

Th. LI.

In hoc statu ex acidis conveniunt Tartarea illa, quæ vulgo in usu sunt: tremor puta & crystalli, terra foliata item, acidumque ejus, vel rubrum hepaticum dictum, vel simplex: quod si chalybeatum est, simul strin-gendo ventriculi tunicas prodesse potest, & in hypochondriaco, sedentariæ vitæ cultorum malo, insuper acidum resorbendo præstans est, primisque viis in universum accomodum. Posthæc vitrioli, nitrique spiritus vel simplex, vel vini spiritu temperatus commendandus est, quorum ille potentior tartaro, sed fixior etiam, ideoque exigua dosi propinandus, hic magis volatilis & mitior est, sed minus potens, ut præstet fere alterum adhibere. Succus quoque citri non est omittendus, nec Mixtura simplex quæ haud parum conducit.

Th. LII.

Præterea quoniam certum est, non in acido solo

fermentum constitui, sed particulas oleosas ac spirituosas etiam, aliasque salinas vel his proximas admisceri, composita quædam huic scopo parata habemus, quæ simul etiam spiritus excitant langentes, deficienteve. Sunt autem illa quæ hodie salia volatilia oleosa audiunt, quorum inventor fuit *Franciscus de le Boy, seu Sylvius*: eaque varia, anisata scilicet, caryophylata, & composita, singula in his efficacissima. Nux moschata elegans etiam est, sed cuius nimia oleositas, ut non sine causa *Ettmallerus* monet, obtundenda nonnihil, & temperanda. Itaque pulveribus hæc accommodatior, nisi aromaticis aliis acutioribus addere in destillationem placeat.

(Th. LIII.

Ad calorem nunc accedo. Is si nimius, acidis cum primis succis, & diluentibus aquosis, potu simili, & refrigerantibus frangi potest, ubi cerevisiâ Numburgenfi nihil utique est commodius. At si deficiat, tunc non internis modo, sed externis egregie solet foveri atque augescere. Ulti quidem nemo non novit quid ipse externus calor hic possit, etiam in maximis ex crudis cibis doloribus: Ad quod serpentarius lapis seu Ophites, qui in Misnia ex propria vena ingenti copia perit, egregie aptatur, ventriculo calide imponendus, ex quo maximum sentitur levamen: Ut nunc crustam panis taceam cum N. M. aliisque aromatibus & vini ^{ad} imbui solitam, aliaque similia & domestica solatia. At ex officinis huc trahenda sunt olea omnia destillata aromatica, Angelicæ, Menthæ, Balsamus Pervianus, Gumnia-ta, Tacamahaca, Galbanum, Mastiche &c. Emplastra quoque, ut de crusta panis, diaphœnicon, Carminativ: Syr.

Præ-

Præterea ex simplicibus sacculi varii & Epithemata præscribuntur.

Th. LIV.

Interna quod attinet, Aromata omnia & ex his parata hic memoranda sunt. Quorum calidissima Zingiber ac piper utrumque, longum puta & rotundum, reliqua superant: sed quia oleoso-volatile spiritus in his admixtus est, hoc nomine vicissim ab iis superantur. Narravit mihi Excellentiss. D. Praeses, Celeberrimum Conringium senem Diazinger suum, cum melle paratum unice laudasse. Uti Platerus etiam curationum per ZZ. aliquot exempla notavit. Diatrion pipereon quid valeat, norunt quibus in usu est. De ceteris Caryophylli palmam merentur, Costus, Cassia caryophyllata, Cinnamomum succedunt, seque ipsis associant. Radix acori quoque, Pimpinellæ & Calamus præstantissima sunt, illaque domestica: Galanga, & Zedoaria peregrina: unde species diagalangæ & reliquæ permultæ in officinis extantes ortum suum duxerunt, quorum catalogum nescire nil attinet. Ex his omnibus olea, illinenda morsulis, miscenda pulveribus, in salia volatile oleosa componenda, prostant, uti & aquæ & spiritus. Quibus adde & illas quæ ex plantis aromaticis, Mentha cum primis parantur, tincturas & elixiria: extracta denique, sirupos. Ex quibus fiunt Trageæ, electuaria, Morsuli, cum conserva rosarum, floribus earum, corticibus citri & similibus: ut solent hæc ire in varias formas. Hisque iisdem etiam, & salibus volatilebus cum ambra & moscho trochiscisque & aliis moschatis spiritus restituuntur, quod, ne eadem bis recensere cogor, hic monitum volo.

Th. LV.

Supereft ipsius ventriculi tonus, qui, quo pacto restituendus sit, nunc dicendum. Fit autem leniter stringentibus potissimum, unde acida ipsa hic conferunt haud parum. Deinde & pulveres aromatici, quia in his quoque terrei quid est, & alia quoque juvant, egredie. Maxime verò Mastiche, ejusque ~, cuius usum nisi fallor Doctissimus Simon Pauli introduxit in officinas: Flores Rosarum, spicæ, Shœnanthos, & Cortices citri laudandi etiam. Pulverem talem in usu habet *Excellentiss. D. Præses. R. Thur. fin. Mastich. elect. àā ʒi Terr. Lemn. ʒʒ, sangvinis Drac. ʒj. Cort. Citr. Aurant. vel Pom: Chinens.* probe pulveris. à ʒj, sacch: ros: tabul. ʒvj. M. & pro lubitu add. օօ mac. gutt. aliquot. Elixir Propr. & Ra terræ catechu, in hoc possent eleganter conjungi: sirupus Cydoniorum quoque peregregius fuerit; Eadem cum spiritu Mastichino, post nimio potu distentum ventriculum assumenda. Pulvis absorbens *Excellentiss. D. Wedelii, quoque Patroni & præceptoris mei summè Venerandi* huc meretur referri: præsertim quia Vitriolum Matris admixtum habet. Et sic possemus videri pensum absolvisse: Quia tamen posset aliquis desiderare, ut in cruditatibus quoque istis, quos supra recensuimus, ostendatur, quomodo se gerere Medicus debat, de iis etiam pauca subjungam.

Th. LVI.

Et acidam quidem quod attinet, quæ plerumque ex vinorum, qui crudiores, acidasque particulas in se habent plurimas, potatione nimia confertim facta; ali- quan-

quando etiam ex esu acidorum actualium exsurgit, cum
hoc ipsum residuum acidum, postquam spirituosum o-
mne, sub halitus forma per pylorū elapsum est, toto genere
sit præter naturam, nihil consultius est, quam vel spon-
taneo, vel excitato arte vomitu illud confessim ejicere:
Sic enim uno momento totum quod nocivum est è me-
dio tollitur. *Secundum* ab hoc est diluere illud, quod
commodissime fit potu Thée, qui id habet beneficii quod
& acrimoniam illam temperet, & educat secum, & ven-
triculi fibras laxiores leniter adstrictiva, qua pollet, vi
restituat. *Tertium* est absorbentib⁹ idem temperare. Unde
ardor ventriculi hinc ortus C.C. usto, lapill. cancrorum,
creta & similibus illico corrigitur; Sed ubi magna nimis
hujus est copia, impar hoc malo istud remedium est.

Th. LVII.

Nidorosa verò cruditas, prægressa evacuatione
(nam in hac sola leniter purgantia locum habere solent)
ubi Rhabarbarum & Tamarindi præ aliis laudantur, por-
rò corrigi & abigi optimè solet elegantibus illis spiriti-
bus acido-dulcibus, quorum supra partim mentionem
fecimus, vitrioli, nitri, & salis: temperant etenim non
modo calorem huic cruditati ut plurimum admixtum,
sed etiam incidunt & resolvunt illam, bilemque corri-
gunt: qua de re vid. *Magnificus, Excellentiss. D. Wedel.*
In Pharm. Acroam. lib. II. Sec. V. Cap. I. Consimiliter
quoque spiritus alii leniter acidi, viridis æris, clyssus anti-
monii &c. item succus Citri & Conserva Rosarum vitrio-
lata virtutem suam feliciter exserunt; quibus quoque
Ra Rosarum, Violarum, ut & julapia omnia acidulata an-
numeranda sunt. Terrea etiam cuncta, quatenus absor-

bent, in hoc casu cum emolumento ægrotorum præscribuntur.

Th. LIX.

Ordo nunc pituitam viscidam tangit, quam incidentibus, attenuantibus & per vomitum edacentibus demandam esse, ex superioribus potest constare. Et quoniam de his actum est, illa duntaxat hic adjungam. Incidunt verò potissimum sales tum fixi, tum etiam compositi ex alcali & acido: ut sunt Tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, sal digestivum *Sylv.* & horum similes; Ex vegetabilibus verò radix ari multum a multis celebrata; Herba piperitis, paucis cognita, *Mentha corymbifera* commendanda. Incidunt & simul attenuant volatilia, & his proxima, Ammoniaci flores, & ejus ~, C. C. eboris, succini, *Cochleariæ*, *Nasturtii* & quæcum aromaticis oleis combinata in sal volatile oleosum, etiam præstantiora evadunt. Dehinc & acida volatiliora & composita, ut *Mistura simplex*, & denique ipsa etiam *Tartarea*: sed minus cæteris conducunt, præsertim cum terrei nonnihil admixtum illis sit, quod forte posset in calculosam duritiem cum pituita tali in dispositis concredere ac indurare. His Rā bez. Eff. carminat. spiritus theriacalis, ~ bez. Wedelii aliaque camphorata; in refracta dosi addi possunt.

Th. LIX.

Amara cruditas vomitu & diluentibus & acidis corrigi potest. Mixta cum varia sit, nec satis forte vel saltim non nisi admodum exercitatis Medicis cognosci per signa sua queat; satius puto de ea tacere, quam multa incon-

incongrua forte cumulare : semper tamen ad id, quod
prævalet attendendum erit.

Th. LX.

Denique & hoc monendum : **Effe quædam ex in-**
cidentibus & aromaticis itemque amaris composita me-
dicamenta, quæ pluribus sufficiunt, & respondent indi-
cationibus, qualia in composita tali intemperie seu cru-
ditate adhiberi possunt commode, illique potissimum
debentur. Et tale est ipsum Elixir Proprietatis aliquoties
laudatum, Θ volatilia ῥοsa, Eff. Absynth. composita,
& pulveres stomachales Birkmanni, Quercetani, Mi-
chaëlis, atque ad normam horum conflata, ad quæ, tan-
quam polychresta, in re non satis certa Medicum recur-
rere licebit.

Th. LXI.

Diaœta in dyspepsia non quæ observanda sit, sed
quæ juvari possit, etiam memoranda est. Poteſt verò ex
dictis facile colligi, quæ hic conferri possint. Itaque
tanto erimus breviores. Si calor debilis sit, potu æger
utatur calido & spirituoso, nec sine vini modulo cœnam,
prandiumve absolvat. Quod etiam sapientiæ studiis
deditis commendamus : licebit enim hoc pacto dissipa-
tos spiritus & meditationibus consumtos instaurare. Si
verò nimius sit ventriculi calor, utatur oleribus multi
succi, potiis quam carnibus : acetariis verò cumprimis
& intybaceis vescatur, vitet verò carduos, aliaque ju-
ribus aromaticis & calidis condiri solita.

Th. LXII

Th. LXII.

Eadem javabunt, si fermentum destructum sit; ex iis quæ antea posuimus, & hic repeti non erit opus; etiam *évitæ*, non refractaria, sale fumòque indurata hunc delectent: etsi saepe observatum esse, halecibus & perna *Westphalica* aut similibus appetitum diu prostratum fuisse feliciter restitutum, non sit silentio prætereundum. Potus largior etiam his qui non satis concoquunt, non tamen excedens libras tres vel quatuor, per pastum commendandus est. Iis vero, quibus laxaræ nimis fibræ, tam in cibis quam potu moderamen præscribendum, jubendumque ut discant ventriculum suum reverenter habere.

Th. LXIII.

Vinum absintites mane sumere, nocivum judicamus, nec inter cibandum idem superbibitum, conducere credimus, amara enim chylo conficiendo admiscere, inutile est, & noxium: sed potius essentiam ejus, tempore, quo alias medicamenta solemus, propinare, vel præmittere cibis jubemus. Spiritus vini parum post cibos difficilis coctionis admittere, Saxonæ inferioris incolis in more positum est: Hoc illis qui assueti sunt, permittendum. At nostratis vinum utilius est, & in se quoque melius: nimis enim citè ex ventriculo ille exhalat, cum vinum & paulo diutius inhæreat, & salinis acidisque particulis incidentibus digestio nem juvet.

Tantum!